



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

LXXVI. Christvs sitit in Cruce lacrymas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

## L X X V.

*Ligo in manu CHRISTI hortulani fit  
umbraticum horologium MAGDA-  
LENÆ.*

**M**AGDALIS incertas rapiens per devia curas,  
Venatur profugi conscia signa pedis:  
Nec longum venata, pedes deprendit IESVS,  
Cui radiat gnauam marra colona manu.  
Hæsit inassuetam Domini defixa figura:  
Longus enim viridem sarculus umbrat humum.  
Sarculus umbrat humum, quem Crux transversa  
pererrat  
Ad caput; & CHRISTI sedula dextra regit.  
Hunc quem quadra Crucis detornat imago li-  
gonem,  
Stare solo ut vidit; Dos mea, dixit; erit.  
Ut bene nunc horas Crucis indice metiar umbram,  
Iste ligo solers horologion ager:  
Quem super irradiat sol pulcher Amoris IESVS,  
Mortis ad eclipsim qui modo nimbus erat.

## L X X V I.

*CHRISTVS sitit in Cruce lacrymas.*

**V**ERIS odora sequor vestigia sub Crucis  
umbram,  
Quæ pede purpureo pulcher adumbrat Amor.  
Quæ sequor, abducunt feralem mortis ad aram:  
Hic reperi caluo nata rosæ iugo:  
Qualia pænè serit spinæ de pubere telo

Asper

Asper Amor, leti quem seges aspra iuuat.  
 Hic etiam lentâ deprendi rupe gementem  
 Magdalin, & diræ conscia saxa necis.  
 Spina tenax vnco morfu defixit euntem:  
 Fixa stat: icta genis plurima lympha fugit.  
 Quaq; fugit, crescit dolor, & comes vnda doloris.  
 Roscida iam nubes Magdala tota fluit.  
 Rorat enim lacrymas, (fructus qui summus  
 Amoris)  
 Quas Iessæ Solymo flos sitit æger agro.

## L X X V I I.

*Eclipsis MAGDALENÆ.*

**N**UPER ad Hesperij funesta cubilia Solis,  
 Vesper inaspicuâ quem sepeliuit humo,  
 Quæris adhuc auidis incerta per omina votis,  
 Nubilaque vmbrosus funerat ora dolor.  
 En tacitos lacrymâ cor exprimit indice questus,  
 Et queritur longas noctibus ire moras.  
 Siste sed ô lacrymasque, gradumque, grauesque  
 querelas,  
 Et fuge nocturnis tædia vincita moris:  
 Iam debellato redit inclytus vltor Auerno;  
 Vt redit Oceanis Sol rediuiuus aquis.  
**C**H R I S T V S ab occiduis necis emicat, emicat  
 vmbis,  
 Illustrique nouum parturit ore diem.  
 Obuius ecce tuis oculis iubar afflat & ignes:  
 Obuia iam plenum concipe Luna globum.  
 Vt quid adhuc fraudas lumen radiantis I E S V?  
 Crescentem ô felix hinc lege Diua diem.  
 Rursus